

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctam Memoriam Rectoris Academiae ...Augusti ...  
Principis Caroli Leopoldi Friderici Magni Ducis Badarum ...**

**Leopold <I., Baden, Großherzog>**

**[Freiburg], [1852]**

[urn:nbn:de:bsz:31-6330](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-6330)

85

**SANCTAM MEMORIAM**  
**RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI**  
**AUGUSTI AC SERENISSIMI PRINCIPIS**  
**CAROLI LEOPOLDI FRIDERICI**  
**MAGNI DUCIS BADARUM DUCIS**  
**ZARINGIAE**

D. XXIV. M. APRILIS A. C. MDCCCLII.

**PLACIDE DEFUNCTI**

**IN AULA ACADEMICA**

**DIE XXIV. MAII HORA X.**

**PIE CELEBRANDAM**

INDICIT

**UNIVERSITAS LITERARUM ALBERTO-LUDOVICIANA**  
**FRIBURGENSIS.**

---

(1852)

042 B 62, 4, 85 RH

SAUCTAM MEMORIAM

RECTORIS AC DOCTORIS MAGNIFICENTISSIMI

REGENTIS AC SENATISSIMI UNIVERSITATIS

CAROLI LEOPOLDI FRIDERICI

MAGNI DUCIS SARDINIAE DUCIS

NAPOLITANAE

PLACIDE DEFUNCTI

IN AULA ACADEMICA

DIE XXII. MARI MONATIS

SEPTEMBRIS

EXSTITITIS TITULUM AD RECTORIS LEOPOLDI

FRIDERICI

Z

Lugere non dedecet, nisi si dedecet caritas: est enim luctus aegritudo ex ejus, qui carus fuerat, interitu acerbo. Neque cum Deo pugnare videntur, quicumque pietatis sensum sequuti integre lugent. Quae res si vera est, illud etiam negari nequibit, ex mutuae caritatis interiori necessitate et nativo quodam vinculo augeri animi moerorem. Haec vero ipsius naturae humanae ratio quam sit extra omnem posita dubitationem, nuper, Omnium Ordinum Cives Honestissimi et Commilitones Suavissimi, in tristissimo publicae calamitatis casu splendide probavit universus populus Badensis. Ubi enim post longinquos morbi gravissimi cruciatus, quibus fida civium pectora vehementer vexabantur, egregius PATER PATRIAE vita decessit, quis fuit locus, quae ora nostra, unde gemitus abessent et lacrumae? Ac jure quidem, heu nimis suo, flebat Badenia moesta. Nam qui per quinque prope lustra apud nos regni clavos tenuerat, DIVUS LEOPOLDUS, non tam imperaverat Ille, quam curaverat, non dominum egerat, sed diligen-

tissimum tutorem, qui rem publicam universam cunctosque cives sincero benivolentiae studio amplecteretur et amore uno, quem ne atrocis quidem seditionis perfida nequitia conculcere posset. Quibus rebus quum clare ostenderet, malle se principem agere parentis affectu, quam domini potestate, semper ita egit, ut, a principali dignitate nunquam sejungens humanitatem, hominis laudem prae ceteris appeteret. Ita civibus popularitate probatus, avaritiae ignarus, beneficiorum magno animo prodigus, innocentiae addictus, pacis artes et otii tranquillitatem tutatus, **DIGNUS MAGNO PATRE FILIUS**, illud assequabatur, ut parentis nomine non magis vocaretur, quam patris loco coleretur. Legibus adstrictae libertatis acer exilit vindex, gravis osor licentiae impotentis. Quo autem magis in aliis respuebat licentiam, tanto verecundius istam cavebat Ipse, et per omne regni sui tempus luculenter confirmavit, quod, a C. J. Caesare aliquando in Senatu Romano prolatum, boni principes probaverunt omnes, in summo imperio minimam esse licentiam. Numquam partium studio abreptus in re publica ordinanda auream constanter tenebat mediocritatem, in qua una salutem inesse omnium temporum et experientia clamat et sapientia monet. Itaque prudenti moderatione praecellens severitatem saluberrimo temperamento jungebat lenitali, justitiae consociabat aequitatem, adeoque effulsit civili clementia et benigna comitate, ut, quum aditus ad eum nemini non pateret, exemplum rarissimum esset

85

hominis, quem omnes adamarent, odisset nullus. Quae quo sunt veriora, eo justiores erant lacrumae, quae nuper in ipso obitu et funere principis profusae nondum exaruerunt.

In hoc enim Principe luxerat nobis exemplum praestantissimarum virtutum, quarum insigne connubium in rebus rarissimis numerari debuit. Superstites quidem illae sunt in aemula ejus prosapia; superstites sunt in iis omnibus, quae Ipse a se instituta posteritati tradidit: tamen alienissimo rei publicae tempore extinctus triste nobis desiderium sui reliquit. Unde, quum patria lugeat omnis, mirum non est, Alberto-Ludovicianam eodem affligi moerore. Academiae enim rei publicae pars sunt neque minima neque vulgaris. Hoc ergo tali principe extincto publica universitatis ratio jacturam fecit, fecit privata. Etenim quis unquam talem principem literis et artibus non favisse crediderit? Qui autem artibus et literis favet princeps, quo tandem pacto fieri potest, ut non contingat rem academicam?

Ita profecto est, Cives Optimi, ita est. Non ignobilem palmam apprehendit DIVUS LEOPOLDUS, quod inde ab initio principatus sui usque ad extremos spiritus, qua generositate populi laborantis angustias sublevabat, eadem culturam mentis provehere studebat, et ea quidem consilii prudentia atque constantia, ut jam in Germaniae terris reperiatur nulla, quae possit patriam superare nostram in iis, quae et docentium et discentium commodis providentur. Respicite ima,

respicite suprema; eadem diligentia cuncta foventur. Testes sunt omnis generis et ordinis scholae Illo regnante melius constitutae, rectius ordinatae, copiosioribus praesidiis instructae. Testis est Academia nostra, HOC potissimum RECTORE tot institutis firmata, tot beneficiis locupletata, tot decoribus ornata. Etenim qua ratione res nostrae Illius regnantis jussu habebantur, ex ea clarissime perspicere poterat, quantopere felicitas Academiarum ex virtutibus et nobili favore principum penderet. Sapientia enim Ille sua libertatem tuebatur docendi, qua sublata ipsa salus academica tollitur. Qua autem erat moderatione et humanitate, dignationem nostram servans ordinem eruditorum vulgari conditione exemptum voluit et illustri loco positum. Liberalitas denique Illius, quae comitem et sociam habebat munificentiam, flore Academiae nostrae aucto effecit, ut studiorum cresceret ardor, ut augetur discendi opportunitas cum hilaritate docendi.

Itaque quum cives omnes optimum principem se amisisse querantur et ademtum sibi patriae parentem gemant, nos non solum communem literarum patrem nobis ereptum, sed unicum rerum nostrarum praesidium ac lumen extinctum merito lugemus. Quo ille igitur magis bonis omnibus in Academia nostra flebilis occidit, tanto impensius nobis faciendum est, ut memoriam CAROLI LEOPOLDI FRIDERICI, qui vivus Academiam nostram RECTOR principali suo splendore collustrabat, justis honoribus condecoremus. Dedicabitur autem, in

hac luctus publici viriditate, huic rei laudatio, proximo die Lunae,  
qui est Maii XXIV., in Aula academica peragenda; ad quae exse-  
quiarum sollemnia digne celebranda adeste frequentes, quotquot gloriae  
Principis et Academiae laudi favetis, ac supremum pietatis officium  
devotissimis animis persolvite Mortuo, qui numquam morietur. Bonos  
virtus vetat mori. Clarum postgenitis

*Illum aget penna metuente solvi*

*Fama superstes.*





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

IN TYPOGRAPHEO HERM. M. POPPEN.